



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Caput Primum Ad cap. 3. de us. & auct. Pal.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

tionis exponit *καλυπτρον μίτραν*. Et Glossæ Isidori, *Phrygium* mitra. Est enim Phrygium capitis ornamentum superiore sui parte clausum, in parte verò inferiore circulum habens aureum in modum coronæ. Hanc mitram Bonifacius 8. altero circulo aureo auxit, & Urbanus V. tertio, eodem modo dispositis, quo hodie tiara Pontificis visitur. Sed & ipsa donationis verba se interpretantur, ibi: Phrygium candido nitore splendidum ejus sacratissimo vertici nostris manibus imposuimus. Denique accedit locus Sugerii in vitâ Ludovici Grossi, ubi ait, capiti Innocentii II. impositum fuisse phrygium, quod Sugerio est Imperiale ornamentum. Plura de hoc pallio dixi in controversiis meis illustribus superioris seculi.

Finis Eclogæ IV.

## Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA QUINTA.

CAPUT PRIMUM

Ad cap. 3. de us. & auct. Pal.

S U M M A R I A.

- |                                     |   |
|-------------------------------------|---|
| 1. Inscriptio capituli integratur.  | 4. Quo tempore confirmatio per pallium coeperit.  |
| 2. Species facti.                   | 5. Gregorius VII. jusjur. fidelitatis introduxit. |
| 3. Effectus pallii noviter indutus. |   |

**I**nscriptio hujus decretalis integra exstat in compilatione tertiâ: Et est talis: *Innocentius III. C. tituli Sancti Laurentii in Lucinâ Presbyteri Cardinalis AP. S. d. Legato. Confer cap. 3. & 4. de offic. Leg.* Species facti hæc: Gualterus Trojanus Episcopus & Regni Siciliae Cancellarius postulatus est ad Panormitanam Ecclesiam, eoque translatus à Sancio Cardinali & Legato sedis Apostolicæ in Sicilia, inconsulto Pontifice. Nondum admittâ postulatione, datove pallio Gualterus Archiepiscopi nomen sump-

*Inscriptio capituli integratur.*  
*Species facti.*

ferat. Quâ de causâ severius interpellat Legatum suum Pontifex, daret operam, ne in confusionem sui, & sedis apostolicæ opprobrium res ista cedat. Interim Gualtero ex singulari gratiâ concessit Pontifex, ut Panormitanæ Ecclesiæ procurationem gereret: Sed Gualterus contumax postea utrâque Ecclesiâ & Panormitanâ & Trojanâ summotus, ut habetur in gestis Innocentii. Gualterus iste reus postulatus quod Archiepiscopum se gessisset ante pallium acceptum, cum tamen per pallium & nomen & res Archiepiscopalis dignitatis, & pontificalis officii plenitudo conferatur. At verò certum est, pallio hoc antiquitus nihil nisi ornamentum Metropolitanis quæsitum fuisse, effectum autem ejus, & cætera, quæ nunc usurpantur, antiquitati prorsus ignota fuisse. Testatur etiam P. de Marcâ Galliarum Metropolitanos statim post ordinationem suam functiones sui muneris exercuisse juxta canones antiquos. Cur ergò Innocentius noster eos prohibet quidquam pontificalis officii attingere, donec à sede apostolicâ missum ad eos fuerit pallium Romanum? Nimirum jam anno DCCCLXX. in synodo Constantinopolitanâ sub Hadriano II. statutum erat, ut Metropolitanis confirmationem suam à Patriarchâ reciperent, sive per impositionem manuum, sive per concessionem pallii. Hoc intromisso nova formula excogitata est, quâ cogebant scripto polliceri subjectionem & obedientiam Apostolicæ sedi & per omnia præcepta ejus canonicè sequi, cujus formulæ auctor exstitit Bonifacius Moguntinus, quam formulam postea auxit Gregorius VII. in tantum, ut sponso illa Bonifaciana in ipsum penitus jusjurandum fidelitatis, quæle Vasallus domino præstat, conversum fuerit: Nempe; *Non ero in consilio, neq; in facto, ut vitam aut membra, aut papatum perdant, aut capti sint malâ captione.* Quæ jurandi formula in vim legis publicæ abiit, & decretalibus inserta est *cap. IV. Infra de jurejur.* Falsò enim hoc capitulum IV. Gregorio I. tribuitur, ut jamdudum monuit Carolus Molinæus *ad dictum cap. & ad Sctum Franciæ contra abus. Pap. pag. mibi 267.*

*Effectus pallii noviter inductus.*

*Quo tempore confirmatio per pallium cœperit.*

*Gregorius VII. jusjur. fidelitatis introduxit.*

CAP.